

- (57) L. quisquis, §. filijs, C. ad l. Iuliam maiest. cum traditis à Covar. 2. var. cap. 8.
 (58) Merc. 2. opin. cap. 14.
 (59) Imp. in d. l. quisquis.

- (60) Tiraq in d. l. ver. donatione largitus, n. 333. latè & optimè Pet. Fab. 3. fem. c. 8.
 (61) Cic. epist. 12. ad Brutum.
 (62) Tertull. lib. 2. adversus Marcionem. cap. 15.

quæstioni & tormentis subdatur, vt sic pater eius dolore commotus, statim veritatem aperiat & proferat. Item & illud, vt atrociora parentum crimina, filiorum etiam pœnis luantur, (57) in quo non eam maximè causam præ oculis habuisse legislatores videntur, vt rectè advertit Mercarius, (58) quam Imp. (59) expresserunt, *quia in filijs patrum, hoc est hereditarij sceleris exempla metuuntur.* Nèque eam etiam, quam ipse Mercer. admisit, *vt nihil omnino superstit, quod eius memoriam refricet, qui peccavit:* Sed eam potius, quòd ad continendos in officio patres, nihil potuit efficacius excogitari, quàm eos, qui pœnas sibi impositas non vererentur, filiorum (quod magis sentiunt) supplicio, terere. Quam rationem multi doctissimi (60) viri referunt & exornant, & ad eam nos omnes Cicero (61) manu duxisse videtur, dum ait: *Nec verò me fugit, quàm sit acerbum, parentum scelera filiorum pœnis lvi. Sed hoc præclare legibus comparatum est, vt charitas liberorum, amiciores parentes reipublicæ redderet.* Et Tertull. (62) non minùs eleganter de Deo loquens, qui patrum delicta à filijs exigit: *Duritia, inquit, populi talia remedia compulerat, vt vel posteritatibus suis prospicientes legi divinæ obedirent. Quis enim non magis filiorum salutem, quàm suam curat.*

CAPVT XI.

Non esse tantam pietatem filios servare, quantum facinus interficere. Fuisse multos qui in suam progeniem savierint. Echeri, Tantal, Prognès, Medea, Pontia, Galla, Deiotari. Laodicis, & aliorum vtriusque sexus parentum in filios crudelitas. Eius detestatio. Constantinum qui primus cullei supplicium filicidis indixit; in idem crimen prolapsus. Hoc multis testimonijs probatum. Qua causa Constantinum in filij & vxoris necem impulerit. Ad purganda parricidia regenerationis lavacrum, non ob lepram susceptum ab eo fuisse.

(1) Eurip. in Aleu.



ONSTAT igitur verissimum esse, quod Euripides (1) dixit: *Vehementem amorem Deus in liberos hominibus dedit.* Constat etiam hunc affectum, vt

Cicero (2) tradidit, hancque benevolentiam genuinam & naturalem erga sobolem esse. Vnde merito sævissima parricidij pœna, eiusmodi flagitium, non dicam parentum, sed carnificum impijssimorum punitur, qui propria pignora perdere non exhorrent, quæ communis omnium animalium instinctus & pietas servare, & docet & iabet. Quod sentiens Quintilianus: (3) *Non est tanta, inquit, pietas filium observasse, quantum facinus occidisse;* nimirum quia in id omnes spontè natura duce feruntur; hoc verò tam infandum scelus, nulli in animum cadere posse videtur. Quam ob causam non iudices tantum, & leges humanæ, verum & natura ipsa, in hæc hominum portenta excandescit. Nam ex Apollonio Rhodio (4) didicimus Echetum quendam sceleratum hominem, quòd filiaë oculos ferreis stimulis confixisset, miserabili apud inferos cruciatu torqueri, caliginiosa æs in causa molentem. Tantalus quòque à poetis (5) narratur, Dijs quos convivio exceperat, Pelopem filium membratim discerptum, & coctum, comedendum apposuisse: Illi vero redita Pelopi vita, patrem tanti sceleris auctorem, ad inferos detruserunt; vbi perpetua fame & siti torquetur, Eridani fluvij aquis mento tenus immersus, & pomis quæ eius capiti imminet, captationem eius fugientibus. Progenes etiam atque Medea multiplex est item apud eosdem Poetas (6) memoria, quæ illatas sibi à maritis iniurias, innocentium filiorum cædibus vindicarunt, adversus quas, avium exemplo insurgit Alciatus (7) sic inquitens:

Ante diem vernam boreali cana palumbes

Frigore nidificat, præcoca & ova fovet:

Mollius & pulli ut iaceant, sibi vellicat alas;

Queis nuda hiberno deficit ipsa gelu

Ecquid Colchi putet, vel te Progne improba? mortem

Cum volucris propriæ prolis amore subit.

Et Iuvenalis, (8) Pontiaë crudelissimum facinus refert & increpat, quæ duos filios veneno necavit.

————— *Sed clamat Pontia feci*

Confiteor, puerisque meis aconita paravi,

Quæ deprehensa patent, facinus tamen ipsa peregi.

(2) Cic. in epist. ad Attic.

(3) Quint. decl. 81

(4) Apoll. Rhod. lib. 4. argonau.

(5) Dicton. poet. in Tantalus.

(6) Sen. in traged. Medea. Ovid. 7. metam. Ælian. de var. histor.

(7) Alciat. embl. 193. vbi plura Minoes & Sanctius vide eosdem embl. 54.

(8) Iuven. satyr. 63

Tu ne duos vna saxissima vipera cœnas;

Tu ne duos? septem si septem fortè fuissent.

Credamus tragicis, quicquid de Colchide torvâ,

Dicitur & Progne.

(9) *Mart.* lib. 2. E-
pigr. 34.

Cuius etiam Ponticæ scelus nefandum, Epigrammatarius Martialis (9) expressit, Gallæ sceleri comparans, quæ non minori crudelitate tres natos fame peremerat, in hæc verba.

Cum placeat Phileros tota tibi dote redemptus.

Tres pateris natos Galla perire fame,

Perpetuam Dij te faciant Philerotis amicam

O! mater qua nec Pontia deterior.

(10) *Plutare.* rela-
tus à *Cœl.* lib. 11. c.
17. *Muret.* lib. 8. var.
cap. 2. 4.

Sed ut à Poetis ad Historicos transeamus, nemo erit, qui sine maxima execratione atrox barbarumque regis Deiotari facinus legere possit, quem post Plutarchum, (10) Cœlius Rhodiginus, & M. Ant. Muretus commemorant, plures habuisse filios, quorum cum ipse vni relinquere imperium, atque omne patrimonium suum cuperet, quò id facilius efficeret, cæteros omnes manibus suis trucidavit, vinitorum exemplo, qui cum vitis aliqua complures emiserit surculos, vnum tantum ex his relinquere, alios amputare consueverunt, ut is qui relinquitur, maior & robustior fiat. In Galilea etiam latronem quendam septem filios simul cum vxore in

(11) *Cœl.* sup.

Herodis regis præsentia occidisse, idem Cœlius (11) recenset. Sed nèque minor illius Mariæ crudelitas videretur, nisi necessitas maleficium quodammodo temperaret, quæ, ut

(12) *Egesippus* de
excid. Hierosol.
Ioan. Savisberiens. in
policrat.

Egesippus (12) narrat, fame coacta, quæ omnem affectum excludit, Hierosolymitani belli temporibus filium in frustra confectum, igni percoxit, ut hiantes, ut Cœlius (13) ait, ven-

(13) *Cœlius* qui e-
leganter eand. hist.
refert lib. 13. lect.
ant. c. 20.

tris latratus expleret. Laudicis autem immanitas omni excusatione, quin & fide maior iudicari poterit, quæ ex sex virilis sexus filijs ex marito Ariarate Cappadociæ rege iam defuncto susceptis, metuens, ne ab administratione regni adulter eius, quem perditè amabat, à filijs prohiberetur,

(14) *Franc. Patr.*
de regn. li. 4. tit. 11

quinque parricidiali poculo, ut Patricius (14) ex alijs retulit, interfecit: Vnum qui adhuc à nutritoribus alebatur, à materno furore ac diro scelere cognatorum custodia eripuit, qui deinde matri (quæ parvo post tempore concursu

totius populi propter nimiam sævitiam trucidata est) successit in regno, & regiam sobolem iam propè per scelus extinctam propria virtute instauravit. Sævus etiam nimis Manlius Torquatus ab scriptoribus (15) appellatur, quicquid non servati imperij causam in nece filij pretenderit: quemadmodum & Spartana illa mulier Damatria, quæ cum accepisset filium vili atque ignavo animo esse, domum reversum manu sua occidit, ac Græcis versibus sepulchro inscripsit, vt Plutarchus recenset (16)

(15) Valer. & alij infra citandi.

(16) Plu. in apoph. Lacon. circa fin.

Hunc timidum mater Damatrion ipsa peremit.

Nec dignum matre, nec Lacedæmonium.

Sed & aliud mulieris cuiusdam parricidium miraculosamque eius vltionem apud Sophronium (17) legimus, ait enim illam cum intra navigium admissa fuisset, tam etsi secundi essent ventorum afflatus, quiescente mari, cum reliqua omnia navigia felicissima navigatione vterentur: illud vnum velut immobile dies quindecim substituisse, summa itinerantium omnium nautarumque mœstitia, quousque gubernator ad divinam opem confugiens responsum audiit divinū; Eijciendam mulierem cui Mariæ nomen erat; Accitam igitur rogavit, vt scelera indicaret, vnde omnibus iacturam pati tantam, ipsa vna causam præbuisset; apperuit illa peremisse se filios duos, vbi ad secundas nuptias viam aperiret, ac nec sic invenisse. Tunc gubernator mulierem in scapham descendere iussit; mirum tunc accidit, scapha quinques in girum agitata, in imum cum muliere demersa est. Navis autem posthæc tanta velocitate iter percurrit, vt tri-duo iter omne absolverit, quod non nisi quindecim diebus confici potuisset. Verum Di, meliora, quam vt ego eorum omnium catalogum faciam, qui naturæ leges transgressi, in proprios filios crudeliter sævierunt; præsertim cum huiuscemodi monstra, quæ fuerant potius oblivione perpetua damnanda, passim in aliorum scriptis connumerentur. (18)

(17) Sophron. in prato spirit. c. 76. refert Matolus dier. canic. colloq. 10. pag. 397.

Quare sufficiat exempla alijs minus cognita retulisse, & illud tandem pro coronide subijciamus, Constantinum Cæsarem, qui primus (vt diximus supra) cullei pœnam in filiorum interfectores extendit, in idem crimen, quod graviter

(18) Valer. lib. 5. c. 7. Bapt. Fulgos. lib. 5. c. 8. Textor in officina. 1. part.

adeò damnavit, non multis postmodùm annis incidisse. Nam Crispum filium, & Licinium ex sorore natum, quibus Consulibus severissimam in parridas legem promulgaverat, item etiam & Faustam vxorem crudelissimè occidisse narratur, (19) vt contra Evagrium & Sozomenum eruditè ostendit Cæsar Baronius, (20) & apertè testatur Sidonius Apollinaris, (21) qui postquam hos versiculos retulit, qui in Constantini palatij foribus appensi fuerant,

Saturni aurea secla quis requirat?

Sunt hæc gemmea, sed Neroniana,

ita subdit, quia scilicet prædictus Augustus iisdem fermè temporibus extinxerat coniugem Faustam calore balnei, filium Crispum frigore veneni. Cuius sceleris causam licet Zonaras (22) & Muretus fuisse dicant, quòd Fausta Crispum Constantino ex concubina natum, infano amore correpta, cum ad concubitum pellicere nequivisset; apud patrem, eodem modo vt Phædra Hippolytum, accusavit, vt à quo adaretur, sua pudicitia sæpè sollicitata, quem Constantinus re non satis considerata immerètem morte multavit, & deinde veritate cognita, de ipsa quòque vxore, cum ob impudicitiam, tum ob filij cædem pœnas exegit, ea in balneum vehementer calefactum introducta, & nimio æstu præfocata. Adhuc tamen Constantinus ipse horum parricidiorum pertessus, quæ fortè non adeò iusta ratione paravit, Augures pro tanti criminis purgatione & expiatione consuluit, à quibus cum nullam acciperet formam, qua ablui hoc facinus posset; doctus Christianam fidem per Baptismi susceptionem scelera omnia abolere, salutarem aquam, vt Baronius exactissimè & diligentissimè probat, suscepit, eorum (23) inde errorem reijciens, qui anilibus fabulis ducti, illum in morte, vel dum lepra laboraret, regenerationis lavacrum à Sylvestro Pontifice accepisse, fatentur.

(19) Ita tradunt Oros. lib. 7. c. 28. in fin. Europ. libr. 10. Sext. Aur. Vict. & Petr. Mexia in vita Constantini.

(20) Baron. 3. tom. annal. ann. Christi

324.
(21) Sidon. Apoll. 5. epist. 8.

(22) Zonaras 3. tom. annal. in vita Constant. Muretus lib. 1. var. c. 12.

(23) Tradit Alciat. lib. 7. parerg. c. 19.



CAPVT XII.

Parricidij teneri matrem, non quæ natum tantum, verum & quæ conceptum filium abegerit, & abortum procuraverit. In hac re communiter animatum factum ab inanimato distinguunt. Id an iure factum? Tryphoninus in lege Cicero, D. de pœnis, exponitur. In abortum curantes Iuuenalis, Ovidij, Ciceronis, & Tertulliani elegantissima verba. Cravius homicidio hoc crimen videri. Nulla ratione excusari.



VERBIS potius quàm rebus impositæ hæc leges viderentur, quæ illatam filijs à parentibus necem severissimis pœnis vindicandam statuunt, nisi quotidianis constaret exemplis, incredibile hoc scelus, & ultra audaciam positum, sæpè fieri; atque ita prudentissimè legum sanctionibus cohiberi. Sed verò quoniam non in natos tantummodò filios, iustis interdum causis commoti, excandescere solent parentes; sed & multoties accidit, ut matres vel dum famæ & pudori consulunt, vel dum parentum odia in filios immerentis conijciunt, in propria viscera sæviant, & medicamentis ad faciendum abortum desumptis, filium claustris adhuc maternis inclusum pessimo, & crudeli exemplo interficiant. Videndum est nunc, an hoc facinus parricidij supplicio sit expiandum? Et fuere quàmplures, (1) qui aientem partem absque aliqua hæsitacione defenderint, eo præcipuè casu, quo iam foetus formatus & animatus extiterit. A quibus lex Moysis à Divo Augustino (2) relata, stare videtur, quæ partum, mulieris, vel alterius cuiuslibet factu, postquam iam animal esset, abactum, capitale crimen esse constituebat: sin minus pecuniaria pœna mulctabat. Item & communis nostrorum traditio, (3) quæ iuxta hanc distinctionem Iuriconsultorum responsa in abortus pœna constituenda, variantia, componit, & homicidium in abortione infantis committi constituit, cum huic recepta homicidij diffinitio (4) omninò conveniat. Accedit his, quod, qui abortionis, aut amatorium po-

(1) *Pet. Gregor. lib. 36. Syntagm. c. 15. n. 17. Ferd. Mendoz. lib. 3. Concilij Illiberit. cap. 52.*

(2) *Exodi cap. 21 quæ refertur à D. August. in cap. Moy ses 32. q. 2. facit ca. sicut 20. de homicidio, tradit Tiber. De cian. lib. 9. crim. c. 8. num. 3. cum seqq.*

(3) *Gloss & alij in l. Divus. de extraordin. crimin. recepta à multis, quos refert & sequitur Agidius Bess. in praxi, tit. de homicid. n. 5 Covarr. in Clemen. si furiosus. 2. p. 8. 3. nu. 1. Iulius Clarus 5 sentent. §. fin. quest. 68 inu. 2. Menochius casu. 357. n. 4. & 5. Cuiac. li. 19. observ. c. 9. qui ita accipiunt di. l. Divus, & l. si mulier. de sicar. l. penult. C. eod. tit. l. 8. tit. 8. partit. 7. & alias. Vide etiam Ricard. 3. coniect. cap. 1. n. 151*

(4) *C. homicid. 23 q. 5. cap. homic. de poenitent. diff. 1. notat Vela de delict. c. 15. ex n. 3.*

(5) Paul. in l. si quis aliquid 38. §. qui abortionis. D. de pœnis, & lib. 5. sen. tit. 23. Mantua in Enchir. c. 241.
 (6) Leg. Vvifigot. 1. lib. 6. tit. 3.

(7) Tryph. in l. Cicero. 39. de pœn.

(8) Covar. vbi sup. & lib. 2. var. c. vlt. n. 10. Menoch. d. cas. 357. n. 5. Tib. Decian. sup. vide etiam O-fascum decif. Pædem. 60. per tot.

(9) Ita docet Menoch. pluribus alijs relatis vbi sup. nu. 13. & 14. & eleganter Cuiac. d. lib. 19. obser. c. 9. in princ. Dionys. Goros. in d. l. Cicero.

(10) Cap. pro humani. de homicid.

(11) Refertur in c. si aliquis 5. de homicid. idem cautum est in abortu in 6. Synod. Constantin. can. 91. quem parricidium vocat Martisenense can. 6. relata à Burch. 3. decr. c. 220.

(12) Steph. in cap. consuluit. 20. 2. q. 5

culum dederint, etiam si ex eo mulier aut homo non perierit, tamen quia mali exempli res est, humiliores in metallum damnantur, honestiores in insulam amissa parte bonorum relegari, ut tradit Iulius Paulus, (5) iubentur. Quæ pœna in legibus Vvifigothorum (6) expressè ad ultimum supplicium his verbis extenditur: *Qui mulieri pregnantipotulum dederit ad necandum infantem, vel ad faciendum abortum, occidatur.* Quamdã quoque Milesiam mulierem, quòd ab heredibus secundis, accepta pecunia, partum sibi ipsa medicamentis abegisset, rei capitalis esse damnatam Tryphoninus ex Cicerone recenset: (7) quem locum est cur meritò difficilem reputemus, quòd constat ex secunda eius parte, mulierem alteram, quæ suis visceribus vim intulit, ne inimico marito, à quo iam diverterat, filium procrearet, temporali tantum exilio ab Imperatoribus coercitam fuisse. Quòdque ut ibi Budæus advertit, & post illum Covarr. (8) & Menochius notarunt, Cicero, ex quo Consultus illius responsi verba desumpsit, de fãmina loquitur, quæ necdum animatum partum potionibus haustis abegit, quæ, si vera est supradicta distinctio, non debuit ad eò gravi supplicio damnari. Sed quidem probandum est, quod docti viri (9) respondent, ideò in eo casu pœnam exacerbata, quod mulier pecunia inducta tantum facinus perpetraverit, atrociora namque & maiori animadversione digna iudicantur delicta, quæ ob pecuniæ interventum, quàm quæ odio vel gratia patrantur. (10) Ut verò in viam è diverticulo redeam, in Vvormacensi concilio (11) cautum etiam invenimus, ut non solum qui animatum partum abegerit, verum & qui explendæ libidinis causa, vel odij, homini aut mulieri quippiam fecerit, vel poru propinaverit, ut non possit generare, vel concipere, vel soboles nasci, ut homicida puniatur. A quo nec abest Stephanus Papa, (12) qui cum in morte infantis homicidium committi probare contenderet, ita inquit: *Quia si ille, qui conceptum in utero per abortum deleverit, homicida est; quanto magis, qui vnus saltem diei puerulum peremerit, homicidam se esse excusare nequibit.* Sed neque bonorum auctorum testimonijs deficiamus, quibus sceleris

huius atrocitas excretur, & non mitiori quàm homicidium
pœna mulctanda dicatur. Nam Iuvenalis (13) frequentiam
huius criminis dolens sic ait:

Sed iacet aurato vix vlla puerpera lecto

Tantum artes huius, tantum medicamina possunt,

Quæ steriles facit, atque homines in ventre necandos

Conducit, &c.

Et Ovidius (14) aureis carminibus in hanc rem eleganter
scriptis, matres detestatus, quæ in suos fetus ita crudeles
sunt, inter alia sic inquit:

Qua prima instituit teneros avellere fetus,

Militia fuerat digna perire sua.

Si mos antiquis placuisset matribus idem,

Gens hominum vitio deperitura fuit.

Quid plenam fraudas vitem crescentibus visis?

Pomæque crudeli vellis acerba manu?

Sponte fluent matura sua, sine crescere nata,

Est pretium parva non leve vita mora.

Vestra quid effoditis subiectis viscera telis?

Et nondum natis dira venena datis?

Colchida respersam puerorum sanguine culpant.

Atque sua casum matre quæruntur Ilym.

Utrâque sava parens, sed tristibus utrâque causis,

Lactura socij sanguinis vltia virum est.

Dicite, quis Tereus, quis vos irriter Iason

Figere sollicita, corpora vestra manu?

Hac nèque in Armenijs tygres fecere latebris,

Perdere nec fetus ausa leana suos.

Cicero quòque in Cluentiana hoc facinus etiam in partu
necdum animato gravissimè vindicari debere testatur: *Quia*
aufert spem parentis, memoriam nominis, subsidium generis,
heredem familiae, designatumque Reipublica civem. Sed me-
lius cæteris Tertullianus Aristotelem (15) notans, qui ante-
quàm infans sensu & vita præditus esset, abortum permit-
tebat, hæc scripsit elegantissima verba: *Nobis homicidio se-*
mel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in
hominem delibatur, dissolvere non licet. Homicidij festinatio

(13) Iuven. satyr. 63

(14) Ovid. libr. 23
amor. eleg. 14

(15) Arist. 7. polit.

est prohiberi nasci: nec refert, natam quis eripiat animam, an nascentem disturberet; homo est & qui est futurus; etiam fructus omnis iam in semine est. Hactenus Tertullianus: (16) ex cuius verbis, nec non ex reliquis quæ supra retulimus, iam liquidò apparet, abortum præcipuè partus iam animati homicidij speciem habere. Unde cum homicidium parentum vel filiorum in parricidij nomen, & supplicium transferit, (17) non dubitarem cullei poena matres afficere, quæ tam dirum facinus commisissent. Præsertim cum apud Minutium Felicem in Octavio parricidij nomine hoc crimen appelletur. Sunt, ait, quæ in ipsis visceribus medicaminibus epotis originem futuri hominis. extinguunt, & parricidium faciunt antequam pariant.

(16) Tertull. in apol. cap. 9.

(17) L. i. D. ad legem Pomp. de parricid. l. vnic. C. de his qui parent.

(18) Menoch. de cas. 357. Tiraq. in l. si vnquam, verb. suscepe. liberos, num. 127. qui docent poenam homicidio impositam, nunquam ad abortum trahi.

(19) Iustin. in l. si quis in suo. §. legis. C. de inoff.

(20) Ovid. in epist. Cana. ad Mac.

(21) Quintil. decl. 279.

Quamvis Menochius (18) cuius sententia forensi vsu recipi solet, mitius se in hoc crimine habeat, & poenam iudicum arbitrio relinquat. Nam si eas, quæ in iam natu grandiores filios, eorum forsitan iniuriis percitæ, sæviunt, parricidij damnamus, cur non in eas eodem gladio leges insurgent, quæ innocentes animas & temporali hac vita immaniter privant? & quod dolendum est magis, nondum sacro baptismate lotas, æternæ illius gaudijs, & præmijs spoliant? Quod si Iustiniano Cæsari (19) satis crudele visum est, eum qui non sentit, ingratum existimari, & alieni odij causa, ab vltima suæ matris hereditate repelli: quanto magis censeari atrox, & crudele debet, partum necdum in lucem editum, spe lucis privare, aut propter mariti odium contra divina humanaque iura perimere. Etenim vt rectè in non absimili casu scribit Ovidius. (20)

Quid puer admisit tam paucis editus horis,

Quo læsit factò vix bene natus avum?

Et, vt non minus rectè Quintilianus. (21) *Quid hæc ætas committere potuit tanta animadversione dignum? lex abdicationis adversus ferociam iuvenum constituta est. Hæc verò infirmitas ad eò nocentis nomen non recipit, vt vix recipiat innocentis. Quod si id fortè vt famæ consulant faciunt, & ne prægnantes detectæ, labis culpæque ruborem apud eos, quibus cum vivunt, contrahant, adhuc tamen.*

Summum credo nefas animam præferre pudori,

Et

Et propter vitam vivendi perdere causas.

Et ut optimè inquit Claudius Minoes, (22) vitam eam non iudico, quæ assiduo sibi male conscia, nocte dièque suum portet in pectore testem. Quibus & alia conveniunt, quæ eleganter in huius criminis detestationem Sixtus (23) Quintus P. M. gravissima ei supplicia constituens, recensuit.

(22) *Claud. Min.* ad Alciat. emb. 193

(23) *Sixt. Pap. 5.* in constit. 23. de facient. & procurant abortum, quam tamen ad antiquum ius reduxit *Greg. XIV.*

CAPVT XIII.

Maritum qui uxorem, vel uxorem quæ maritum occiderit, culleo insui debere, negatum à quibusdam, à multis assertum, Hispanà lege expressè sancitum. Huius rei rationes ex coniugum amore petuntur. De quo plurima diligenter congerimus. Coniuges sibi invicem insidiantes maius parricidio crimen admittere Chrysostomi & Stephani verbis probatur. Murena & vipera exemplo cum D. Basil. & Alciato coniugalis concordia & charitas suaderur. Cur fel in Iunonis pronuba sacris non adhiberetur? Formula illa, ubi tu Caius ego Caia, quò tenderet? Nova eius explicatio. Uxores maritis aequales esse debere. Dominas saepe in legibus appellatas. Interdum filiorum loco fuisse. Pœnas malis maritis impositas. Qui coniugum amorem propria vitæ prætulerint. Utrum hæc pœna ad sponsos trahatur? Martiani responsum exponitur.



PARENTIBVS & liberis, ad coniuges, nec in opportunè, ut arbitror, transitum nostra faciet oratio. Nam & hi sibi artificis amoris & necessitudinis vinculis copulantur, & divinæ & humanæ domus, sacrorum etiam atque fortunarum omnipiù focij esse dicuntur, (1) neque secus sibi, quam parentes liberis sunt. Apud Gallos enim, si Cæsari (2) fidem habemus, viri in uxores non secus ac in liberos dominationem habebant: & Romanis, ut ex Vlpiani fragmentis (3) colligitur, ea quæ per coemptionem in viri manum convenisset, filij loco quoad omnes iuris civilis effectus reputabatur. Quinimo & conjugalem amorem quemlibet alium longè latèq; supera-

(1) *L. i. de ritu nup.* l. adversus. C. de cri. expil. hered. l. r. D. rer. amot.

(2) *Cæsar lib. 6. de bello Gallic.* quod & hodie apud eos durat teste *Tiraq.* in l. i. conn. n. 4.

(3) *Vlp. in frag. tit. Dionys. Hal. lib. 2. Per. Velleius à Guevara ad Topica Cicer. §. 8. nu. 3.*

- (4) *Genes. 3. Matt. 19. Mar. 10. Paulus ad Eph. 5. Esdræ 3. c. 4.* re, illud Dei Opt. Max. oraculum satis ostendit. (4) *Propter hanc relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhaerebit uxori suæ.* Et Propertianum (5) carmen admonuit, dum ait, *Omnis amor magnus, sed aperte in coniuge maior.*
- (5) *Proper. lib. 4.* Quod non dubie insinuasse etiam Imper. (6) videtur, dum vxores, novis maritis, non res tantum filiorum verum etiam & vitam addicere, tradit, & Bartolus iuris nostri Coryphæus, (7) expressis verbis testatus est, inquit, *conjuges se invicem plus diligere, quam proprios filios.* Et Quintilian. (8) sic patrem quendam loquentem inducit: *Filium & virum habere non poteras, reddi tibi quem magis amabas, siste iam lachrymas, maritum reducem & incolumen accipe.* In quam eandem sententiam Ioannes Nevizanus (9) post alios considerat, anulum in desponsatione eam ob causam adhibitum fuisse, ut summæ dilectionis signum ostenderet, & eius rotunditas, quæ est infinita, amorem conjugum infinitum etiam esse debere, declararet. Aitq; anulum olim ferreum fuisse, eiq; adamantem inclusum, ut ostenderetur, non aliter conjugis amorem, vxorem à patris amore retrahere, quam adamantem ferrum à magnete retrahere solet. Ex his apparet, iustis de causis, & communi Doctorum (10) calculo, & forensi usu receptum, ut parricidij crimen & supplicium in maritum, qui vxorem occiderit, & è contrario, locum habere existimetur. Nam si ex charitatis, & amoris vinculis, facinoris immanitatem metimur, procul dubio aut nullum, aut hoc maxime scelus hæc debuit poenâ coerceri. Quæ opinio licet à Ioanne Oinothomo (11) & Matth. Vvesemb. damnetur, qui contendunt cullei poenam, & parricidij nomen solum in ascendentibus, & descendentibus locum habere, nostro tamen iure inspecto, (12) omni dubitatione remota admitti debet, & iuxta iuris communis sanctiones (13) adeo vera videtur, ut non solum parricidium, verum detestabilius parricidio scelus in conjugis nece perpetrari, notabilis quadam decretorum glossa (14) tradiderit, quæ Nevizano, (15) & alijs, quos ipse recenset, vehementer probatur. Quorum hercule iudicium magna ratione niti, quilibet dicet, qui attentè Divi Chrysostomi verba perlegerit, qui postquam virorum

in vxores sævitiam, maximam eorum ignominiam esse probaverat ita subdit: (16) *Etenim summa iniuria est, vita sociã, & in rebus necessarijs ante tibi coniunctam, tanquam mancipium ignominia afficere. Ideo huiusmodi virum, si quidem vir appellandus est potius quàm fera, & patricida, & matricida similem esse dixeris. Nam si patrem & matrem vxoris gratia relinquere præcipimur, non vt iniuriam ei faciamus, sed divinam legem impleamus, & ipsis parentibus tam gratum hoc est, eam contumelia afficere, propter quam parentes Deus dimittendos præcipit, nonne hoc tantum insania? &c.* Sed & facit etiam in hanc rem, & huius criminis diritatem ostendit, gravissimum Stephani Papæ (17) ad Hastulphum quemdam, decretum, vbi ei propter vxoris cædem asperrimam pœnitentiam iniungens, ita exorditur. *Admonere te cum lacrymis, & multo gemitu cordis curamus, fili Hastulphe: sed non filius debes dici, qui tam crudeliter infelix homicidium perpetrasti. nã occidisti vxorem tuam partem corporis tui, legitimo matrimonio tibi sociatam, sine causa mortis, non tibi resistentem, non insidiantem quoquo modo vitæ tuæ. Non invenisti eam cum alio viro nefariam rem facientem, sed concitatus à diabolo, impio furore inflammatus, latronum more, atrocius gladio tuo, crudelior omni bestia, peremisti, &c.* Vnde & Horatius libro tertio Carminum, ode 2. Danaï filias ita detestatur.

Impia nam quid potuere mains?

Impia sponso potuere duro,

Perdere ferro.

Et Alexander Regis Spitamenis vxorem, quæ trucidati mariti caput gestabat, aversatus est, atque illam è castris excedere iussit, vt Quintus Curtius libro 8. recenset. Divus quoque Basilii magnus (18) viperæ exemplo quæ cum muræna marina eiecto prius ex stomacho diro veneno congregitur, maritis suadet, vt reverentia coniugij, animi inclementiam, & inhumanitatem in vxores, deponant: quod Alcianus (19) noster, eleganti complexus emblemate, ita inquit:

Cum furit in Venerem, pelagi se in litore sistit.

Vipera, & ab stomacho dira venena vomit:

Muranamque ciens ingentia sibila tollit,

At

(16) Chryso. in prior. Paul. ad Corinth. epist. hom. 26. refert illum Tiraq. in l. 8. conn. nu. 8. vide etiam Ariostum cãtu 5. in princ. qui elegantè in eos qui in vxores sæviunt invehitur. Et Mant. in Enchir. cap. 123. qui docet gravius esse vxorem, quam matrem occidere, & Balduin. in §. sed & maior, n. 10. inst. de his qui sunt sui. Tiber. Decian. lib. 9. crim. c. 11. per tot. (17) Steph. P. in c. admonere. 33. q. 2.

(18) Basil. in exam. orat. 7.

(19) Alci. embl. 191.

At simul complexus appetit illa viri.

Maxima debetur thalamo reverentia:coniux

Alternum debet coniungi & obsequium.

(20) *Plutar. in præcep. connub.*

(21) *Plut. in prob. c. 28. Eras. in adag. vbi tu Caius. Alex. ab Alexan. 5. gen. c. 4. Briff. de rit. nupt. fol. 42. Mant. in Enchir. c. 122.*

(22) *Eustach. lib. 2. & 14. Iliad. quam probat noster Ioan. Pareja in repeti. c. 1. de censib.*

(23) *Valer. (fitamen is est) in libr. de prænom. ant.*

(24) *Genes. 1. no- rant multi ex Theo lo. quos refert Tira. in l. 8. conn. n. 10. Mant. in Ench. c. 73. Pieta poesis pag. 53*

(25) *Fornier. lib. 1. select. c. 11. Cuius. novell. 22. & ante eos late Tiraq. l. 10. connub. nu. 5.*

(26) *Colum. in præfa. lib. vlti. de re rust.*

(27) *Plutar. in præcep. connub. ca. 36. & in probl.*

Et Cato ille Censorinus, tantum cultus & venerationis deberi vxori censebat, vt quisquis ei manus intulisset, non aliter insectandus esset, quàm si Deorum simulacra audax temerasset. Neque aliud significare veteres illi Ethnici volebant, ex quorum institutis, vt ex Plutarcho (20) didicimus, qui Iunoni Pronubæ sacrificabant, sel in sacris non adhibebant, sed è victima exemptum, iuxta aram infodiebant, significantes à matrimonio bilem omnem procul esse oportere, & iram atq; odium & amaritudinem à coniugali iucunditate esse sequestrandam. Quò etiam solemnem Romanorum morem spectasse, ex eodem Plutarcho, (21) & alijs cognovimus, vt sponsam introducentes iuberent dicere: *Ubi tu Caius ergo Caia*, quasi cum viro pacisceretur, omnia inter eos communia esse debere, & vbi maritus dominus & domus compos, ibi quoque vxorem dominam atque heram futuram. Aut vt ego magis existimo (relicta alia Eustachij (22) interpretatione) vbi gaudens maritus, ibi gaudentem quoque vxorem esse debere. Invenio enim apud Romanos, *Caios*, à gaudio appellatos, eosque vt ex Valerio (23) constat eo nomine significari, qui cum maximo parentum gaudio nascerentur. Quam inter coniuges æqualitatem rerum omnium creator affatum denotavit, cum ex Protoplasti Adami latere, non autem ex pede aut capite Evam formaverit, (24) & Romani non obscure significabant, vxores dominas & matres familias appellantes, vt doctè Fornerius (25) & Cuiacius ostendunt, & novissimè insignis D. Ant. Pichardo vir non modo de schola nostra, verùm de ipsa quoque iurisprudencia optimè meritus, in præclara disputatione, quam de promiscua coniugum nobilitate nuper excussit. Et adeò eis omnium bonorum dominium communicantes, vt rectè dicere Columella (26) potuerit: *Nihil in domo coniugali apud priscos viduum conspici, nihil quod aut maritus aut fœmina proprium sui iuris esse diceret. sed in commune conspiciebatur ab utroque.*

Nec minus rectè Plutar. (27) hinc donationes inter coniu-

ges